



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Disputatio Octava. De Immensitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

mi angeli, omnesque operationes eorum operatione supremi angeli. Probo primum, quoniam mensura debet esse certior & notior mensurato: æuum autem supremi angeli est æquè certum ac notum atque aliorum; cum in permanentia ab intrinseco indefectibili omnes angeli sint pares: nam æquè omnes sunt ab extrinseco agente creato incorruptibiles, & in ordine ad Deum vnus non est independens alio. Confirmatur: nam mensura deseruit ad dignoscendum, quantum vna res excedat aliam in quantitate: Sed quando res mensurabilis est æquè nota mensuranti, atque est ipsa mensura, non est opus mensura ad cognoscendam quantitatem rei mensurabilis. At æquè nota est omnibus angelis virtualis quantitas duratiua vniuscuiusque: ergo non est opus æuo vniui ad dignoscendum æuum alterius. Maior cum Consequentia constat. Minor probatur, quia cum omnes angeli simul cæperint durare, & omnes æquè, sint ab intrinseco indefectibiles, & in perpetuum duraturi, & hoc naturaliter notum sit omnibus, nota etiam erit omnibus virtualis quantitas duratiua vniuscuiusque.

91. Probo secundum, quia nequit deseruire vt mensura id, quod suapte natura est ignotum: at quælibet operatio interna angeli est suapte natura ignota alteri angelo; ergo nequit deseruire illi vt mensura. Maior cum Consequentia patet. Minorem ostendo, nam quælibet operatio interna angeli, ob perfectum dominium libertatis, quod quælibet creatura intellectualis naturaliter habet in suos actus internos, est naturaliter ignota alteri angelo: ergo nequit illi deseruire vt mensura. Confirmatur, quia quælibet operatio interna angeli libere pendet in quantitate duratiua à potentia libera eiusdem angeli; igitur nequit esse certa mensura durationis. Consequentia constat, quia mensura debet habere stabilem ac certam quantitatem; non potest autem habere stabilem ac certam quantitatem, quæ quoad tantam, aut tantam quantitatem, pendet à libera potentia alterius.

92. A quo autem tanquam à mensura ex-

trinseca mensuretur æuum angelorum, & interna, atque externe operationes eorumdem, Durandus in 2. dist. 2. q. 5. num. 14. Ockamus quæst. 13. Gabriel qu. 1. conclusione 7. censent mensurari tempore nostro: quod mihi probabilius est, tum à paritate substantiarum corruptibilium, quarum extrinseca mensura, notificans earum durationem, est tempus, non obstante, quod intrinseca mensura ipsarum sit instans temporis discreti: dicimus enim Adamum, vel Abrahamum tæto vel tanto tempore vixisse. Tum à priori, quia durare essentialiter importat respectum ad tempus reale vel imaginarium: ergo impossibile est cognoscere, quamdiu quis durauerit, nisi cognoscatur tempus, in ordine ad quod durauerit. Confirmatur; nam ita se habet duratio ad tempus, sicut presentia ad locum: sed impossibile est cognoscere; quantum vnus angelus distet ab alio, nisi per extrinsecam mensuram spatij localis: ergo impossibile est cognoscere, quantum vnus angelus, vel anima rationalis distet in duratione ab alia, nisi per extrinsecam mensuram temporis, quo vna distat ab alia.

93. Tum quia, cum dicitur vnus angelus cognoscere durationem alterius, aut significat, debere tantum cognoscere durationem illius intrinsecam, aut etiam extrinsecam coexistentiam ad tantum, vel tantum tempus. Si primum, nõ eget angelus extrinsecam mensuram ad illam cognoscendam, nam ex natura ipsius angeli naturaliter nota intrinseca duratio illius, nempe quod sit perpetua, & ab intrinseco indefectibilis. Neque enim hinc loquimur de quantitate perfectionis, secundum quam nõ infior, angelos inferiores cognosci, tanquam per extrinsecam mensuram, per naturam & perfectionem supremi angeli, sed de quantitate duratiua, quoad intrinsecam perfectionem durandi, est æqualis in omnibus, atque adeo quæ nota omnibus. Si secundum; impossibile est cognoscere, quamdiu angelus, vel anima durauerit, nisi cognito tempore, tanquam extrinseca mensura, in quo durauit.

Durandus.
Ockam.
Gabriel.

DISPUTATIO VIII.

De Immensitate DEI.



OST Aeternitatem agimus de immensitate, quæ per se consequitur ad immutabilitatem, posterius tamen, quam aeternitas, quia res prius concipitur esse, quam esse in loco: est autem Deus æternus, quatenus est; immensus verò, quatenus est, vel esse potest præsens loco. Porro immensitas sumi potest dupliciter: primo transcendenter, vt modus intrinsecus

cuiuslibet attributi, quo pacto est idem, atque infinitas transcendenter sumpta: nam, quodlibet attributum Diuinum est in suo genere infinitum, immensum, & illimitatum. Secundò, vt peculiare attributum, virtute distinctum à cæteris, qua ratione inuoluit aptitudinem ad coexistendum in infinitis locis, per omnimodam sui immutabilitatem: in quo sensu nos hinc de illa disputamus.

SECTIO

SECTIO I.

An Deus sit immensus?

Concilium
Lateran.

Baruch

Auctor li-
bri de Mun-
do ad Ale-
xandrum.

Augustinus
Eugubinus.

I. **A**FFIRMANS cōclusio est expressē de-
finita in Concilio Lateran. sub Inno-
centio III. *Firmiter, inquit, credimus, quod
unus solus est verus Deus, aternus, immēsus, &c.*
Et constat apertis scripturæ testimonijs, suffi-
ciat vnum Baruch 3. *Magnus est, & non ha-
bet finem, excelsus & immensus.* Contra quam
veritatem opinatus est Auctor de Mundo ad
Alexandrum: quem librum propterea Peri-
paterici negant esse Aristotelis. Fuere & alij
Philosophi atque hæretici, quos sequutus est
Augustinus Eugubinus Catholicus in Plal.
138. Dupliciter autem potest hæc veritas de-
monstrari a priori, & a posteriori. In hac se-
ctione demonstrabimus illam a priori, in se-
quenti verò a posteriori.

2. A PRIORI illam sic demonstro primò.
Ex attributo immutabilitatis. Deus est im-
mutabilis: ergo immensus. Consequentiam
probo, quia si Deus non esset immensus, pos-
set esse aliqua creatura distans, ergo posset ab
ea fieri indistans: ergo mutabilis. Antecedens
constat, quia immensitas est perfectio per
quam Deus à nulla creatura, vel loco distare
potest: ergo si non esset immensus posset a b
aliqua creatura, aut loco distare. Prior conse-
quentia probatur, nam posita hac imperfec-
tione, quod Deus distaret à creatura, maior
esset perfectio, ut ad eam posset, quam non
posset accedere, ut patet de creaturis spiritua-
libus, quarum limitatione locabilitatis posita,
maior perfectio in illis est, ut possint, quam ut
non possint ad loca distantia accedere. Deo
autem concedendum esset id, quod maioris
esset perfectionis, etiam aliqua imperfectione
posita. Dices, diuersam esse rationem de crea-
turis & Deo: nam, quia vna creatura perfici-
tur ab alia, maior perfectio est posse, quam nō
posse ad distantes accedere: contrà verò, quia
Deus à nulla creatura perficitur, nō esset ma-
ior perfectio posse, quam non posse ad distan-
tes accedere. Sed contrà, quia licet Deus non
perficeretur à creaturis, atque adeo accessus
ad eas, nō esset in Deo maior perfectio, quam
non accessus, posse tamen accedere maior foret
perfectio, quam non posse: sicut licet non
perficiatur productione creaturarum, tamen
posse illas producere maior est perfectio,
quam non posse.

3. Posterior verò consequentia ostenditur,
quia non posset Deus ex distante, fieri indi-
stans & loco præsens, nisi per aliquam muta-
tionem sui: implicat namque subiectū trans-
ire de contradictorio in contradictorium, si-
ne aliqua mutatione alicuius extremi: sed
nulla fieret mutatio in loco, si Deus ex non
præsentē fieret præsens: ergo necessariò debe-
ret fieri in Deo: atque adeo Deus esset muta-
bilis secundum locum. Minor patet, quia sup-

ponimus Deum moueri ad locum, non locum
ad Deum: ac proinde mutatio nō fieret in lo-
co, sed in Deo. Dices: Deus ex non creatore
fit creator, nulla mutatione sui: ergo ex non
præsentē præsens. Resp. Distinguendo con-
sequens: etenim si Deus fiat ex non præsentē
præsens, per productionem loci, verum est;
quia tunc transitus ex non præsentē in præ-
sentem fit per mutationem termini; Secus, si
fieret ex non præsentē præsens, per mutatio-
nem ipsius ad locum, quia tunc mutatio non
fieret in loco, sed in subiecto mouente se ad
locum.

4. Secundò, probo ex infinitate, & illimi-
tatione Dei, hoc pacto: Deus est infinitus &
illimitatus in sua essentia; ergo & in quauis
perfectione sibi intrinseca; ergo & in hac per-
fectione coexistendi spatio infinito. ergo est
immensus. Hæc vltima consequentia patet,
quia immensitas est perfectio, per quam Deus
est aptus coexistere infinito spatio. Antece-
dens constat ex ipso conceptu essentiali Dei-
tatis, quæ est ipsum esse infinitum & intermi-
natum in tota latitudine essendi. Prima con-
sequentia probatur, quia si aliqua perfectio
diuina non esset infinita & illimitata, Deus
non esset infinitus & illimitatus in totalati-
tudine essendi; quia, cum quolibet perfectio
dicat aliquod esse, si aliqua perfectio in Deo
foret limitata, non esset Deus in totalati-
tudine essendi illimitatus, siquidem non esset
illimitatus in hac perfectione. Secunda con-
sequentia elucet, cum non minus hæc sit in-
trinseca perfectio Dei, quam reliquæ; nec mi-
nus hæc, quam reliquæ, fundetur in ipsa es-
sentia infinita & illimitata Dei. Quare sicut
Deus est illimitatus in eternitate, in omnipo-
tentia, & in reliquis perfectionibus sibi in-
trinscicis, ita & in hac, coexistendi spatio.

5. Confirmatur: Nam quælibet perfectio,
quæ in causa continetur formaliter, & com-
municabilis est effectui sine certo limite, de-
bet in causa necessariò esse infinita: atqui vir-
tualis quantitas, per quā Deus aptus est coex-
istere spatio, formaliter continetur in Deo, &
communicabilis est creaturæ sine certo limi-
te: ergo debet in Deo necessariò esse infini-
ta. Maior constat, quia, quando causa con-
tinet perfectionem formaliter, non posset il-
lam maiorem & maiorem effectui comuni-
care, quin tandem perueniret ad certum ter-
minum, quo maiorem communicare non
posset, nisi illam contineret actu infinitam.
Minor quoad priorem partem probatur, quia
virtualis quantitas coexistendi spatio non est
in Deo eminenter, sed formaliter; formaliter
enim Deus per suam propriam substantiam
spatium replet, iuxta illud Ieremiæ 23. *Nun-
quid non calum & terram ego impleo?* sicut et-
iam formaliter Deus per suum proprium ef-
fe occupat tempus eique interruptè coexi-
stit.

Ieremias.

6. Quoad posteriorem verò partem o-
stendo, quia non implicat dato quolibet An-
gelo, cum determinata sphaera virtualis quan-
tatis, in ordine ad spatium dari aliū & alium

cum sphaera virtualis quantitatis maioris & maioris sine termino. Igitur communicabilis est hæc perfectio creaturæ, sine certo limite; & consequenter in Deo necessario debet esse infinita: alioqui cum perveniretur ad eum terminum, in quo illa in Deo contineretur, non posset maior produci, quia non potest causa producere perfectiorem effectum, quam ipsa contineat in se. Antecedens probatur, quia nulla est implicancia, quin dato quolibet Angelo, perfectior creari possit cum ampliori sphaera, virtualis quantitatis in ordine ad locum.

7. Ex dictis deducitur primò immensitatem, etsi vi nominis importet negationem mensuræ, re tamen ipsa significare perfectionem positivam, importat enim perfectionem secundum quam Deus aptus est coexistere omni loco: quæ perfectio sicut in creaturis est quid positivum, ita & in Deo.

8. Deducitur secundò: Deum non modò actu esse præsentem rebus omnibus creatis, sed etià actu fieri posse præsentem quibuscunque alijs, etiam infinitis, si crearetur, sine vlla mutatione sui; patet, quia Deus est in rebus, ratione suæ immensitatis; atqui ipsius immensitas non habet limitem; ergo ratione ipsius immensitatis non modò actu est in rebus omnibus creatis, sed fieri posset in infinitis, si crearentur. Confirmatur: Nam si Deus ante mundum conditum creasset angelum tantæ extensionis localis, quantæ est mundus ipse, per novam creationem mundi, angelus actu factus fuisset præsens toti mundo, sine vlla mutatione sui. Ergo à fortiori Deus, cum sit infinitæ & immensæ extensionis, quantitativè virtualis, fieri potest actu præsens infinitis mundis, sine vlla mutatione sui.

9. Deducitur tertio discriminem inter immensitatem & præsentiam Dei; primò, quia illa competit Deo ex eternitate; hæc ex tempore. Secundò, quia illa est perfectio necessaria, hæc libera, quæ potuit in Deo non esse, si nullas produxisset creaturas. Tertio, quia illa est fundamentum huius. Probo primum discriminem, quia immensitas dicit infinitam extensionem seu quantitatem virtuales substantiæ diuinæ, ratione cuius Deus aptus est coexistere infinitis locis; sed hanc Deus habuit ex ipsa æternitate. Præsentia verò, supra hanc virtuales quantitatem substantiæ diuinæ, addit connotationem seu respectum rationis ad res & loca actu existentia, quæ Deus non solum efficienter per suam actionem, sed etiam formaliter per suammet substantiam intimè replet. Secundum discriminem deducitur ex primo, quia si præsentia addit connotationem seu respectum rationis ad creaturas actu existentes, potuit in Deo non esse: tamen si rebus actu existentibus, talis præsentia non poterit in Deo non esse: quia posito termino Deus ratione suæ immensitatis necessario illi coexistit, per intimam præsentiam suæ substantiæ. Tertium ostendo, nam connotatio seu respectus ad res & loca actu existentia immediatè fundatur in immensitate diuina; fundatur enim in substantia Dei, quatenus continet virtuales

quantitates. An autem ad complendam præsentiam Dei in rebus, requiratur actio Dei circa res, non modò ut conditio, faciens terminum actu existentem, verum etiam ut ratio formaliter completiva præsentia, qua Deus virtuali quodam contactu res ipsas contingit, pendet ex ea questione, an substantia spiritualis sit in loco formaliter & completè per substantiam, an per operationem, de qua in materia de Angelis tomo sequenti.

SECTIO II.

An præsentia Dei in rebus euidenter colligatur ex operatione ipsius in res omnes.

10. **H**ACTENUS probauimus immensitatem Dei ex attributo immutabilitatis, & infinitatis, superest, ut illam probemus à posteriori ex operatione, quam Deus exercet in res omnes creatas. Cardo autem præsentis controuersia est, an ex operatione Dei, immediatè & euidenter colligatur ipsius præsentia in rebus omnibus.

11. PRIMA sententia affirmat. Est Alensis 1. p. q. 9. memb. 2. S. Th. 1. p. q. 8. ar. 1. & 3. contra Gentes c. 68. Caiet. & Ferrar. iisdem locis, Henrici in summa a. 30. q. 5. Bonau. in 1. dist. 37. 1. p. dist. ar. 1. q. 1. Rich. a. 1. q. 1. Duran. q. 1. Aureoli a. 2. proposit. 3. & 4. Arg. a. 1. & 2. Capreol. q. 1. a. 1. & 3. Marlij q. 39. a. 2. Palatij Disp. 1. Banes 1. p. q. 8. a. 1. Molinæ d. 2. Zumel q. 1. Suar. in Metaph. d. 30. sect. 6. Gillij l. 2. tr. 9. a. c. 3. Fundatur hæc sententia in illo principio Aristot. 7. Physic. text. 10. 11. & 12. quod agens & passum debeant esse simul. Sed Deus per conseruationem est intimum agens omnium creaturarum: ergo debet esse præsens in omnibus creaturis. Rectè igitur ex operatione Dei in creaturas colligitur ipsius præsentia ad easdem creaturas.

12. Quod si quis obijciat: Ex præcisa operatione agentis ad passum, non colligi præsentiam agentis intra ipsas intimas partes passi: qualem præsentiam concedere debemus Deo in ordine ad creaturas: siquidè experientia cõstat, agens corporeum, dum agit in passum corporeum, non fieri præsens intra intimas partes ipsius, sed tantum ad extimas partes, cum tamen eius actio pertingat vsque ad intimas partes passi. Respondent assignando disparitatem inter Deum & agens creatum: quoniam agens creatum potest agere media virtute à se distincta, quam diffundit vsque ad intimas partes passi: Deus autem, cum debeat ad omnem effectum immediatè concurrere, non potest virtute à se distincta, sed per seipsū immediatè agere; atque adeo ex ipsius operatione in creaturas, rectè colligi intimam præsentiam eiusdem ad omnes creaturas. Est talis præsentia non colligatur ex operatione agentis creati ad passum.

13. Confirmatur: quoniam in qualibet re creata est aliquid quod produci & conseruari non potest, nisi à solo Deo, ac proinde quæ-

Alensis.
S. Thomas.
Caietanus.
Ferrariensis.
Henricus.
Bonauent.
Richardus.
Durandus.
Aureolus.
Argentinus.
Capreolus.
Marfilus.
Palatinus.
Bannes.
Molina.
Zumel.
Suarez.
Gillius.
Aristoteles.

libet

libet res creata exigit intimam præsentiā Dei. Assumptum probatur, nam omnis res aut est materialis, aut spiritalis: Materialis habet saltem materiam, spiritalis verò totam substantiam, quæ non potest, nisi per creationem à solo Deo fieri & conservari; cum solius sit Dei creare.

14. Secundo probatur eadem sententia: quoniam agens est actus passī: actus autem ut perficiat passum, debet esse indistans ab illo. Tertiò, implicat agens agere in passum tempore distans; ergo & loco distans; Consequentia probatur, quoniam agens respectu loci, à quo distat, se habet ac si non esset: perinde enim est respectu passī hic præsenti, quod agēs alibi existat, ac si nullibi existat. Quarto, nā eadē ratione, ducta ex operatione, colligūt PP. præsentiā Dei in rebus. Nyss. orat. Catech. c. 25. vbi sic Dei præsentiā in rebus omnibus cōcludit: *Si ergo ab illo, nēpe Deo, sunt omnia, & ille est in omnibus.* Anastasius Sinaita. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus to. 1. Bibliothecæ Patrum: *Rei, inquit, quæ effici caput tantisper dum peragitur, necessario adest natura agentis: quidvis enim operis nemo, absens si est, operatur.* Deus igitur, cum nullo non tempore quidvis eorum, quæ fiunt, efficiat, prorsus necesse est fateri, Deum omnibus inesse, nec ab ullo vnquam disparari entium. Quintò, eadem ratione vitur Paulus Actor. 17. *Non longè, inquit loquens de Deo, abest ab unoquoque nostrum: & causam huius reddit, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.*

15. SECUNDA sententia negat, ex sola & præcisa operatione, Dei præsentiā evidenter colligi: est Scoti in 1. dist. 37. Licheti ibidem, Ockami quæst. vnica, Mayroni quæst. 1. Rubionis quæst. 2. art. 1. Gabrielis quæst. vnica art. 3. dub. 1. Valent. in 1. p. quæst. 8. puncto 1. Vasquez disp. 28. c. 4. & 5. & aliorum: inter quos aliqui putant etū præsentiā Dei colligi nequeat ex operatione Dei ut sic, eam tamen colligi ex operatione Dei ut primi ac perfectissimi agentis; eò quod operatio primi ac perfectissimi agentis necessario coniunctam habet præsentiā operis à se producti. Quod explicant exemplo regis creati, cuius potentia & imperium moraliter solum, & non physicè se extendit in totum regnum. Perfectius autem esset eius imperium, si non tantum moraliter, sed etiam physicè se extenderet in totum regnum, & in singulas partes ipsius. Cum igitur Deus perfectissimum habeat imperium in omnes res creatas, eoque perfectius sit imperium, quò propinquius & intimius attingit rem ipsam, & effectum imperatum, ex eius perfectissimo imperio in res omnes rectè colligitur ipsius præsentiā in rebus omnibus. Pro præsentiis controuersie explicatione,

16. Dico primò, ex sola & præcisa operatione Dei in creaturas, non colligitur evidenter intima præsentiā ipsius in creaturis. Fundamentum est, quoniam aut hæc intima præsentiā colligitur ex operatione a-

gentis ut sic, aut ex operatione talis agentis, nempe Dei agentis infiniti: ex neutra colligitur evidenter: ergo. Maior constat, quoniam si colligeretur, deberet alterutro ex his colligi. Minor quoad priorem partem probatur primò experientia, quā constat non semper agens creatum esse intimum effectui, quem producit. Tum in casu supra assignato, in quo agens corporeum est præsens tantum extimis partibus passī, & tamen effectum producit vsque ad intimas partes passī. Nec satisfacit responsio ibi data, quod effectus ille non producat ab agente immediate, sed à virtute per medium diffusa vsque ad intimas partes passī. Falsum namque est, aut saltem in controuersia positum, an solum accidens, quod tantum per medium diffunditur vsque ad intimas partes passī, sine actuali concursu substantiæ, producat in intimis partibus subiecti formam substantialem. Cum igitur hæc intima præsentiā agentis in passum pendeat ex opinione dubia non potest ex sola operatione agentis ut sic, evidenter demonstrari.

17. Tum in alijs casibus, & primus sit. Ingrediatur solis radius per fenestram intra cubiculum, & reflectatur ad parietem soli directè oppositum: experientia constat, maius lumen produci in ea parte parietis atque in tractu spatij, qui directè opponitur soli, quā in alijs partibus, quæ soli directè nō opponitur. Hoc autē aliud esse non potest, nisi quia sol immediate cōcurrit ad lumen è regione sibi oppositū, qui tamen non concurrat ad lumen sibi è regione non oppositum. Igitur in hoc casu sol agit vbi non est præsens immediate per substantiam. Consequentia patet. Minor probatur, nam dici non potest, illud produci tantum à radio à sole producto, quoniam omne agens natum est æqualem effectum producere, in omnibus partibus passī, æquè approximatis & non impeditis. Igitur si lumen illud directè soli oppositum, produceretur à solo radio in medio producto æquale etiam lumen produci deberet in alijs partibus eidem radio directè oppositis, & æquè approximatis, cum tamē videamus, semper intensius lumen produci in partibus directè oppositis soli, quā in alijs directè tantum oppositis radio. Signum igitur est, quod ad lumen directè soli oppositum, immediate concurrat sol, qui tamen non concurrat ad reliquum lumen sibi directè non oppositum.

18. SECUNDVS casus: Sit ignis vnus palmi, qui calefaciat spatium immediate sequens trium palmarum; apponaturque ante hunc ignem vnus palmi alter ignis B. eiusdē extensionis & actiuitatis, ita ut inter hunc & primū ignem intercedat spatium vnus palmi. Porro ignis B. cum sit eiusdē actiuitatis cum igne A. calefaciet spatium immediate sequens trium palmarum, & quia inuenit secundū palmū ignitum, atque adeo perfectè assimilatum, non poterit in illum agere; cum non sit capax vltioris gradus caloris, & tamen agat in tertium palmum sequentem, cum ille sit intra

Nyssenus.

Anastasius
Sinaita.

S. Paulus.

Scotus.

Lychetus.

Ockham.

Mayronus.

Rubio.

Gabriel.

Valentin.

Vasquez.

suam sphaeram. ergo in tali casu ignis B. ager in primum & tertium palmum, non agendo in secundum.

19. Secundò probatur ab absurdo: quia si non posset agens agere, nisi ubi est immediatè præsens per entitatem, sequeretur agens corporeum non posse agere, nisi in solam extimam superficiem passî. Sequelam probò, quia in sola extima superficie potest agens corporeum esse præsens. Neque dicas, qualitatem productam in extima superficie agere in profundas partes passî: Nam, ut ipsa qualitas producta in extima superficie agere possit in partes profundas & extensas passî, debet in hac sententia priùs per suam entitatem fieri præsens in ipsis partibus extensis & profundis passî: aut certè, si potest qualitas existens in sola extima superficie passî, agere in partes extensas & profundas passî, etiam si in illis non sit immediatè præsens, iam dabitur aliqua actio in distans.

20. Tertio probatur à priori: quoniam ex nullo capite colligi potest hæc necessaria præsencia agētis cum passio, neque ex parte agentis: neque ex parte effectus, neque ex parte actionis. Non ex parte agentis: nam agens, producendo effectum, non communicat suū esse, sed aliquid à se distinctum; unde non est actus informans, sed efficiens. Neque ut influat esse in effectum, debet necessariò esse præsens effectui, nam in sententia multorum aduersariorum, potest instrumentum obedientialiter influere in effectum loco distans: ergo ex vi influxus non requiritur talis præsencia: neque hæc præsencia est necessaria ex parte effectus; nam effectus solū dicit dependere ab agente, ab eoque suum esse accipere: potest autem effectus dependere ab agente, ab eoque suum esse accipere absque intima præsencia agentis, ut patet in effectū obedientialiter productū ab instrumento loco distante. Neque ex parte actionis: nam actio est tantum via ad communicandum esse effectui; identificaturque cum ipso effectui: unde non maiorem cum agente præsenciam requirit, quàm requirat effectus ipse, ut constet de actione producta ab instrumento distante.

21. Probatur minor primi syllogismi quoad posteriorem partem; nam minor necessitas apparet huius intimæ præsenciae in agente infinito, quàm finito, quia infinitum omnipotentia suā superare potest quodcunque impedimentum, atque adeo omnem distantiam inter ipsum, & effectum intercedentem, quæ regulariter solet esse conditio impediens actionem agentis creati, quod in agendo, ut potest limitatum pendet à conditione spatij, à quo non pendet virtus infinita & illimitata. Unde rectè argumentatur Scotus: Si Deus esset in vno tantum loco determinato cum ea potentia & virtute agendi infinita, quàm nunc est, posset in quacunque distantiam agere, quia virtus infinita & illimitata non pendet in agendo à conditionibus spatij, sicut pendet virtus finita & limitata; atque adeo posset in

eo catu agere in quacunque distantiam. Neque ex eo quod Deus habet perfectissimū dominium supra creaturas, ex hoc præcisè colligitur intima præsencia ipsius ad creaturas: quia perfectissimum dominium consistit in potestate utendi illis ad quencunque vsum possibilem sibi placitum: atqui posset Deus uti creaturis ad omnem vsum possibilem sibi placitum, etiam si non esset illis intimè præsens: nam omnis vsus Dei circa creaturas, vel fundatur in aliqua actione, vel in suspensione alicuius actionis; quia vel vitur creatura, eleuando illam ad effectus, propriam naturam excedentes, vel illam perficiendo, aut destruendo totaliter, vel partialiter: sed hoc ipso, quod Deus posset agere in effectum distantem, perfectissimè posset hoc dominium exercere: ergo. Unde dispar est ratio de rege creato: cuius dominium utpote limitatum, quoniam non se extendit ad res distantes, eas cognoscendo, disponendo, regulando, & gubernando, perfectius esset, si non tantum per suos ministros, sed etiam per seipsum se extenderet. At dominium Dei absque præsencia locali, perfectissimo modo se extenderet ad res omnes loco distantes, disponendo de illis, non secus ac si esset ijs intimè præsens.

22. Dico 2. Ex actione Dei creatura non immediatè, sed mediatè colligitur intima præsencia Dei in rebus omnibus. Fundamentum est: quoniam actio creatura supponit in creante actum purum: sed actus purus necessariò est intimè præsens rebus omnibus: ergo ex actione creatura mediatè colligitur intima præsencia Dei in rebus omnibus. Maior probatur, nam creatio est actio independens à subiecto, saltem inhærensionis, cum fiat ex nullo præsupposito subiecto; ergo supponit in creante actionem immanentem independentem à subiecto. Consequentiam probò, quia nullum agens habere potest actionem transcurrentem independentem à subiecto, quàm sit sua ipsius immanens actio: tum quia hæc est causa & exemplar illius: non potest autem effectus & exemplatum esse perfectius sua causa & exemplari. Tum quia per actionem immanentem agens ordinatur ad seipsum perficiendū, per transeuntem verò ad perficiendum aliud à se: nequit autem agens principale ordinari ad perfectius perficiendum aliud, quàm seipsum, cum ad perficiendum seipsum ordinetur primariò, ad perficiendum verò aliud ordinetur secundariò. Igitur si creatio nequit supponere in creante actionem immanentem dependentiorem à subiecto, quàm sit ipsa; cum ipsa sit à subiecto independens necessariò supponit in creante actionem immanentem independentem à subiecto, atque adeo identificatam cum ipsa substantia creantis: nam hoc ipso, quod est independens à subiecto, identificatur cum illo: alioquin si distingueretur ab illo, necessariò esset accidens; & inhærensionem pendens ab illo, solius autem actus puri est, habere actionem immanentem identificatam cum propria

sub-

Scotus.

substantia. Igitur solus actus puri est, creare. Rectè ergo ex actione creatiua colligitur puritas actus in creante.

23. Iam probatur Minor primi syllogismi, nempe quòd actus purus necessariò debeat esse intimè præsens rebus omnibus: nam de ratione actus puri est omnem omnino potentialitatem excludere; atqui aliqua potentialitas est, posse esse præsentem, ubi non est, potest tamen esse: ergo si Deus non esset præsens rebus omnibus, in quibus tamen esse posset, non omnem omnino potentialitatem excluderet. Vt igitur illam excludat, debet in omnibus esse præsens; ac proinde rectè ex creatione non quidem immediatè, cum immediatè tantum colligatur puritas actus in creante, sed mediatè; cum ex perfectione actus puri rectè inferatur exclusio omnis potentialitatis, atque adeo intima præsentia eiusdem in rebus omnibus.

Aristoteles.

24. AD fundamentum primæ, Resp. Principium illud Aristotelicum, ad summum intelligendum esse de agente & passo creato, quæ ob suam finitudinem & limitationem, requirunt indistantiam localem; non autem de agente in creato, quod ob suam infinitatem & independentiam à spatio, posset effectum loco distantem producere, si in vno tantum loco existeret.

25. Ad secundum Dico, agentem esse actum passivi, non formalem, qui solus requirit indistantiam passivi, sed effectuum, qui per se talem indistantiam non requirit, nisi fortè ex peculiari conditione talis agentis.

26. AD tertium, Nego consequentiam, quia quod distat tempore, nullo modo est, & consequenter nullo modo agere potest: quod verò distat loco, simpliciter est, atque adeo non implicat simpliciter agere. Nego autem respectu passivi hinc præsentis, perinde esse agentem alibi esse, ac si nullibi esset, quoniam nullibi esse, negat simpliciter esse; at alibi esse, solum negat non esse hinc. Implicat autem ex terminis, quòd aliquid recipiat esse ab eo, quod simpliciter non est: non implicat autem, quòd recipiat esse ab eo, quod hinc tantum non est, modò alibi sit: cum multi hoc concedant causis naturalibus, aut saltem obedientialibus.

Ad Patres & scripturam.

27. AD Patres & scripturam Resp. Rectè eos ex operatione Diuina probare præsentiam Dei in rebus omnibus: tum quia hoc probare poterant mediatè ex propria actione Dei, quæ est creatio, uti nos fecimus: tum quia & fortè magis ad mentem ipsorum, cum probant præsentiam Dei ex operatione; hanc probationem ipsi non afferunt, ut exactam demonstrationem, sed ut efficacem duntaxat rationem, & inter probabiles omnium probabilissimam, ut reuera est. Etenim non semper ipsi Diuinas perfectiones probant rationibus demonstrantibus, sed interdum probabiliter tantum concludentibus, ut constat, quando existentiam Dei probant non solum per rationes demonstratiuas, sed etiam probabiles, & vulgò accommodatas. Nec refert, quod

sæpe dicant, ex operatione Deum necessariò esse præsentem rebus: quippe qui intelligendi sunt, non de necessitate physice, sed moraliter tantum euidente, quæ coincidit cum ratione probabilissimè ostendente, quæ ratio moraliter solet demonstratio appellari.

SECTIO III.

An Deus existat non tantum in hoc mundo, sed etiam extra illum in infinito spatio imaginario?

28. **H**Æc est celebris controuersia ab omnibus ferè Scholasticis agitata, sed acrius à Theologis nostris temporis discussa, ob inextricabiles difficultates, quas secum inuehit inanitas illa spatij imaginarij, quam præsens controuersia inuoluit. Ad clariorem autem propositæ difficultatis notitiam, duplex questionis sensus distinguendus est; alter, an Deus simpliciter existat extra hunc mundum; alter, an existat in aliquo spatio imaginario, quod actu sit extra hunc mundum. Primus sensus adhuc est duplex, alter negatiuus & in potentia, alter positius & in actu. Negatiuè & in potentia, dicitur Deus extra hunc mundum, non quod actu sit, sed quod possit esse. Itavt hoc modo loquendi solum denotetur, essentiam Diuinam non limitari ad hunc tantum mundum sed ratione suæ immensitatis esse posse in alijs, qui extra hunc condiposent. Positiuè autem & actu dicitur esse extra hunc mundum, quia non solum potest esse, si actu extra illum aliquid creetur, sed quia actu sit interminabiliter & infinitè vel in spatio imaginario, infinitè excurrente extra hunc mundum, vel in se ipso tantum. Præsens controuersia non est, an Deus negatiuè tantum, & in potentia sit extra hunc mundum, omnes enim Catholici admittunt; & de Fide esse puto: quoniam de Fide est, Deum esse omnipotentem, ac proinde posse alium mundum extra hunc creare: De Fide quoque est, Deum esse immensum atque adeo necessariò huic nouo mundo præsentem fore: igitur de Fide est, Deum negatiuè & in potentia extra hunc mundum esse. Ergo præsens controuersia tantum est, an positiuè & actu Deus sit extra hunc mundum. Posito autem quòd sit, alia insurgit quæstio, an extra illum sit in spatio aliquo imaginario infinito, an in se ipso tantum.

29. PRIMA sententia negat, Deum esse extra hunc mundum. Est Bonauent. in primo distinct. 37. p. 2. artic. 1. quæst. 3. Capreoli q. vnica ad quartum contra primam Conclusionem, Vasquez. 1. p. Disp. 29. Granadi Disp. 3. de Immensitate Dei, Nazarij art. 2. Controuersia vnica §. resolutio in fine, Montcæi Disp. 1. de Immensitate Dei.

30. SECUNDA sententia affirmat, Deum a-

H 4

ctū esse

Bonauent.
Capreol.
Vasquez.
Granad.
Nazarij.
Montcæus.

Alensis.
F. kardus.
Marfilus.
Bannez.
Fasolus.
Gillius.
Theod. Sm.
Scotus.

Carthusian.
Palatius.
Maior.
Molina.
Zumel.
Valentin.
Suarez.

Iob. 11.
3. Reg. 8.

Dionysius.
Gregorius.
Hieronymus.
Richardus.
Alensis.

August.

actu esse extra hunc mundum, non tamen in spatio aliquo imaginario, sed in se ipso tantum. Est Alens. 1. par. qu. 10. memb. 1. Richard. in primo Dist. 37. art. 1. qu. 4. Marfilij quæst. 39. §. ad rationes ad octauum Bannez. 1. quæst. 8. Fasoli dubit. 4. Gillij lib. 2. tract. 9. cap. 19. Theodori Smising. tom. 1. de Deo tract. 2. Disput. 5. quæst. 2. Neque huic sententiæ contradicit Scotus in primo Dist. 37. qui solum docet, Deum non esse in spatio imaginario, non autem negat esse extra mundum. Hæc sententia duas habet partes, & quod Deus sit extra mundum, & quod non sit in spatio aliquo imaginario, sed in se ipso. Primum constabit ex dicendis: secundum nititur eodem fundamento, quo præcedens sententia, quod infra assignabitur.

31. TERTIA sententia affirmat, Deum non modò esse extra hunc mundum in se ipso, verum etiam in infinito spatio, non quidem reali, sed imaginario, est Carthusiani in primo Dist. 37. quæst. 1. Palatij Disput. 2. Maioris qu. vnica & in 2. Disput. 1. qu. 2. ad Octauum, Molinae 1. p. q. 8. art. 1. Disput. 3. Zumel. art. 2. q. vnica, Valent. puncto 2. Suar. in Metaphys. D. 30. Sec. 7. & aliorum. Pro cuius controuersie decisione,

32. DICO 1. Negari non potest, Deum actu esse extra hunc mundum: Deducitur ex scriptura Iob 11. vbi *Excelsior Calo, profundior inferno, longior terra, latior mari*, dicitur eius mensura. Et 3. Regum 8. *si Cælum, & Cæli Cælorum te capere non possunt*, &c. quo modo loquendi scriptura significat, Diuinam essentiam non coarctari ad hunc mundum, sed illimitatè & interminabiliter extra illum etiam reperiri. Accedit communis auctoritas Patrum, qui varijs locutionibus hanc ipsam Diuinæ substantiæ extra mundum existentiam declarant: asserentes illum non solum esse intra, sed extra, supra, vnde quaque, circumquaque, & vndique infusum, & circumfusum. Legi Dionys. cap. 9. de Diuinis nominibus. Gregor. lib. 2. Moral. c. 8. Hieronymum in Isaiam 66. Richardum libr. 2. de Trinitate c. 23. Quos loquendi modos imitatus Alensis dixit, Deum esse in rebus, & extra; intra non inclusum; extra non exclusum. Eandem veritatem nobis explicat August. 7. Confess. cap. 5. apta similitudine infiniti & immensi maris, paruam aliquam spongiam intra se vndique circumambientis. *Concipiebam, inquit, te Domine ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed vsquequaque infinitum: tanquam si mare esset vbique & vndique per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam; tamen plena esset vndique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari. Sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam.* Est igitur, iudice Augustino, mundus hic spongia, Deus mare immensum & infinitum, quod non tantum sua præsentia implet & replet spongiam, sed illam in infinitum excedit. Hanc ipsam veritatem ante Augustinum exemplo spheræ do-

cuit Trismegistus, cum dixit, Deum esse *verluti sphæram*, cuius centrum esset vbique, circumferentia verò nusquam. Nec Patres intelligi possunt de existentia Dei extra mundum potentiali; nam eodem modo dicunt, Deum esse, intra atque extra mundum: atqui Deus est intra mundum actu: ergo & extra.

33. Ratio vero fundamentalis nostræ assertionis, est hæc. Deus necessariò est actu vbicumque potest creatura, præsertim spiritualis, existere: atqui extra hunc mundum potest creatura spiritualis existere: ergo extra hunc mundum Deus necessario est actu. Minor patet; nam quis negabit posse Deum extra hunc mundum Angelum condere, quod sic demonstro: nam posset Deus extra hunc mundum qui de facto est, alium condere cum vno Angelo, quo tantum conseruato destrueret posset talem mundum: tunc autem solus Angelus existeret extra hunc mundum: ergo. Maiorem aliqui probant ex eo, quoniam ad omnem actionem præsupponi debet præsentia agentis: vt igitur Deus agere possit extra mundum præsupponi debet ipsius præsentia extra mundum, sed hæc probatio non est efficax, quia si ex vi actionis præcisè, non colligitur necessario intima præsentia agentis ad effectum, à fortiori nec necessariò præsupponetur eius præsentia ad actionem. quare ego maiorem sic probò: Deus ratione suæ immensitatis & virtualis extensionis, actu habet, quidquid ratione suæ finitæ locabilitatis & virtualis extensionis habere potest quolibet substantia creata spiritualis: atqui substantia spiritualis creata, ratione suæ finitæ locabilitatis & virtualis extensionis, habere potest vbi extra hunc mundum: ergo & illud Deus, actu habet: ergo Deus actu est extra hunc mundum. In hoc discursu, sola maior est probanda, nam reliqua ex ea euidenter deducuntur; ea autem sic probatur, quidquid perfectionis est, vel esse potest in creatura, actu est in Deo, absque vlla imperfectione: habere vbi extra mundum, perfectio est in Angelo, & nullam includit imperfectionem: ergo actu est in Deo. minor probatur, quia sicut habere vbi intra mundum, perfectio est in Angelo; ita & habere, vel habere posse vbi extra mundum. si qua vero imperfectio esset in vbi Angelico, esset limitatio & finitudo, quam imperfectio excludit vbi diuinum, quippe cum sit interminatum & infinitum.

34. Confr. 1. quia non est maior ratio, cur Angelus habere possit vbi extra hunc mundum & non Deus: quod si habere potest, actu habet; cum sit perfectio, quæ ab extrinseco termino reali non pendet. Confirmatur secundò: Ita se habet Deus ad hunc mundum ratione Immensitatis: sicut se habet ratione eternitatis ad tempus: sed ratione eternitatis, Deus non solum fuit, & est in omni tempore reali, sed etiam fuit, & erit, ante, & post omne tempus reale. ergo pariter ratione Immensitatis, non solum est intra, sed etiam extra, & ultra hunc mundum. Minor constat ex

Trismegist.

sacra

ſacra ſcriptura in qua Deus dicitur fuiſſe, & fore, ante & vltra ſæcula, & patet etiam ratione: quia ante omne tempus Deus erat, & poſt omne tempus erit: ergo ſicut verè dici poteſt, Deum ante, & poſt tempus fuiſſe ac fore: ita extra, & vltra hunc mundum eſſe.

35. DI CO 2. Deus ratione ſue immenſitatis actu occupat infinita ſpatia imaginaria extra hunc mundum. Aſſertio hæc ſequitur ex præcedente. Vnde non cohærenter, me iudice, ratiocinantur ij, qui admittunt, Deum actu exiſtere extra mundum, nullum tamen ſpatium, vel inanitatem occupare extra mundum. Ratio verò ſequelæ eſt; quia ſicut implicat, angelum eſſe extra mundum & ſpatium vel inanitatem aliquam extra mundum non occupare; ita & Deum eſſe extra mundum, & ſpatium vel inanitatem aliquam ſimiliter non occupare. Et ratio huius eſt, quia implicat, angelum eſſe, & cum aliquo Vbi non eſſe, ſicut & exiſtere, & cum aliqua duratione non exiſtere. Atqui implicat concipere Vbi, & non per reſpectum ad aliquod ſpatium, vel reale vel imaginarium. Nec dici poteſt, hoc ſpatium eſſe hunc mundum, ad quem vbi angeli, extra hunc mundum exiſtentis, dicit reſpectum: quia poſſet deſtrui hoc mundo, adhuc angelus cum eodem vbi perſeuerare, cum tamen per aduerſarios, mutato ſpatio, neceſſariò mutandum eſſet vbi; quia hoc eſſentialiter dicit reſpectum ad determinatum ſpatium. Si igitur nequit angelus extra mundum exiſtere ſine aliquo Vbi, ſpatium aliquod occupante; ergo nec Deus ſine ſuo Vbi immenſitatis, infinitum ſpatium occupante. Nam ita ſe habet Vbi finitum angeli ad ſpatium finitum; ſicut Vbi infinitum Dei ad ſpatium infinitum.

Auguſt.

36. Secundò, Eadem aſſertio probatur auctoritate Aug. 11. de Ciuitate c. 5. vbi admittit, Deum incorporea ſua præſentia occupare infinita ſpatia imaginaria extra hunc mundum: imò absurdum putat, & Diuina ſubſtantia indignum, illum tantum concludere intra hoc exiguum mundi ſpatium: *An forte, inquit, ſubſtantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec diſtendant loco, ſed de ea, ſicut de Deo ſentire dignum eſt, ſententur incorporea præſentia ubiq; totam à tantis locorum extra mundum ſpatijs abſentem, eſſent dicturi, & vna tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus eſt, occupatam? non opinor, eos in hac vaniloquia progreſſuros.* Dum igitur absurdum putat, ſubſtantiam Diuinam abſentem eſſe ab infinitis locorum ſpatijs extra mundum, aperte ſentit, illam actu occupare infinita ſpatia extra mundum.

37. Tertio probatur ratione in hunc modum. Concedenda eſt neceſſariò extra hunc mundum diſtantia negatiua & infinita, in qua poſſet Deus plures & plures mūdōs in infinitum condere, ergo totam illam neceſſariò occupat Deus per ſuam immenſitatem & virtutem extensionem. Conſequentia patet, quia Deus ratione ſue immenſitatis & virtualis extensionis, neceſſariò occupat quodcūque ſpa-

tium occupabile; repugnat enim dari ſpatium occupabile, & illud actu à Deo non occupari: eſt enim occupatio effectus formalis immenſitatis, qui ad illam neceſſariò conſequitur, poſita tantum capacitate termini, cum non ſit quid diſtinctum ab ipſa infinita ſubſtantia Dei.

38. Confirmatur: quia, ſicut implicat, dari ſpatium poſitiuum occupabile, & illud actu à Deo non occupari: ita ſimiliter implicat, dari ſpatium negatiuum occupabile, & illud actu à Deo non occupari. Antecedens verò probo; nam poſſet angelus extra hunc mundum moueri in infinitum: implicat autem mobile moueri niſi per diſtantiam: ergo ſi poſſet angelus extra hunc mundum in infinitum moueri, cōcedenda eſt extra hunc mundum infinita diſtantia negatiua. Cōſequentia elucet. Maior conſtat, nam qua ratione poteſt angelus extra hunc mundum exiſtere, poteſt & moueri: Nam poſſet habere exiſtentiam non contiguam mundo, & tunc poſſet verſus hunc mundum moueri, donec fieret contiguus mundo. Confirmatur, quia ſaltem poſſet Deus motu recto mouere hunc mundum, & tunc eadem foret ratio, cum non poſſet mundus localiter moueri niſi per diſtantiam.

39. Nec rectè id negant Bannez & Moncaus cap. 7. tum quia oppoſitum eſt damnatum inter articulos Pariſienſes inſertos in fine quarti libri Magiſtri ſententiarum. Tum quia, communis Schola admittit motum in vacuo; atque adeo etiam extra hunc mundum, cum eadem ratio ſit de inani & vacuo quoad motum localem, vt mox conſtabit. Maiorem autem, probo, quia motus localis eſſentialiter eſt ſucceſſiua acquiſitio ſpatij: implicat enim ſucceſſiua acquiſitio ſpatij, ſine aliqua ſaltem negatiua diſtantia. Maior eſt ipſa motus localis definitio, qui eſſentialiter eſt derelictio termini à quo, & ſucceſſiua acquiſitio termini ad quem, quæ ſine aliqua diſtantia inter terminum à quo, & ad quem, concipi non poteſt. Minor etiam patet in motu, qui fieret in vacuo, in quo niſi aliqua intercedat diſtantia inter latera ipſa corporis ambientis, impoſſibile eſt, vt in eo fiat motus: quia motus localis non ſit, niſi per derelictionem termini à quo, & acquiſitionem termini ad quem. Quare concedenda neceſſariò eſt extra hunc mundum, infinita diſtantia negatiua, in qua, & per quam, moueri poſſet Angelus, vel hic mūdus, atque ea data, neceſſariò ſequitur Deum actu illam occupare & replere infinita ſua ſubſtantia. Igitur negandum non eſt, Deum extra hunc mundum ratione ſue immenſitatis & virtualis quantitatis, actu occupare infinita ſpatia imaginaria.

40. Aliqui nobiſcum conueniunt re, ſolum diſcrepantes quoad modum loquendi. Siquidem concedunt, Deum ſua infinita ſubſtantia & virtuali quãtitate, actu occupare huiusmodi infinitam inanitatem extra hunc mundum, ſicut occuparet inanitatem vacui: negant tamē dici poſſe, Deum eſſe in ſpatio imaginario, ſed in ſe ipſo, eò quòd eſſe in ſpatio, importat eſſe in loco reali: cum igitur ſpatium hoc ni-

hil ſit,

Bannez.
Moncaus.
oppoſitum
eſt damna-
tum.

Modus lo-
quendi Pa-
trium.
Augustin.

hil sit, non potest in eo verè Deus esse aut dici. Verùm si de re conueniunt, non est, cur de modo loquendi nobiscum contendat: præsertim cum etiam noster modus loquendi versus sit à Patribus, ut constat ex Augustino, & Scholasticis.

41. Quarta probatur eadem assertio à paritate Aternitatis; quo argumento utitur cit. loco Augustinus, ad probandam præsentiam Dei in spatijs imaginarijs. Nam ita se habet æternitas ad tempus, sicut immensitas ad spatium; sed Deus ratione æternitatis fuit in tempore imaginario infinito; ergo & ratione immensitatis, est in spatio imaginario infinito. Negant Aduersarij Minorem, concedentes Deum ratione æternitatis, fuisse ante omne tempus reale; negant autem fuisse in tempore imaginario, sed in sua dumtaxat æternitate. Sed contentionem faciunt de nomine; cum nos per existere in tempore, vel in spatio imaginario, non intelligamus Deum existere in aliquo tempore, aut spatio reali, sed in negatione potius temporis, & spatij realis, apti tamen, ut in eo existat tempus, vel spatium reale: quam capacitatem replet Deus sua æternitate, atque immensitate.

42. Quinta probatur ab absurdo: etenim si Deus actu non esset in infinita illa vastitate inanitatis extra mundum, posset à seipso disjungi, & discontinuari: nam creet Deus alium mundum huic non contiguum, tunc foret in extremis realibus, & non in inani intermedio. Id ipsum sequeretur, si Deus, corruptis intermedijs corporibus, conseruaret cælum & terram. Item sequeretur, Deum moueri cum lapide, si à cælo moueretur ad terram; quia Deus necessariò esset cum lapide, quocunque lapis moueretur, cumque ille moueretur à cælo ad terram per vacuum, si in vacuo non esset Deus, necessariò deberet moueri cum ipso lapide.

Explican-
tur Patres.

43. *Obijciat* 1. Patres affirmantes, Deum extra hunc mundum, non in alio, quàm in seipso esse. Respon. Cum Patres dicunt, Deum extra hunc mundum tantum esse in se ipso, vel tantum excludere terminum seu locum realem, non autem imaginarium, ut constat ex Aug. supra citato.

44. *Obijciat* 2. Hoc spatium est ens fictum, ut ex ipso nomine spatij imaginarij constat: ergo non potest in eo Deus esse. Consequentia probatur, quia nequit Deus esse in nihilo: alioqui esset in chimera, in rebus possibilibus, in rebus præteritis, & futuris. Respond. Concedo hoc spatium esse fictum quoad realitatem, cum nihil sit reale; nego tamen esse fictum quoad distantiam & capedinem negatiuam, secundum quam suo modo existit independentem ab intellectu, eo modo quo independentem ab omni intellectu dicitur existere negationes, & priuationes rerum, non per realem aliquam existentiam, sed quia, ut sint tales negationes aut priuationes, non pendent ab intellectu, sed à natura talis negationis, aut priuationis: nō enim lignū habet priuationem ignis, aut homo negationē Leonis,

quia intellectus fingit; sed quia à parte rei est talis negatio. Eodem modo, quod hoc spatium sit talis distantia negatiua, quæ repleti & occupari possit substantiā aliquā reali, non pendet ab intellectu, sed à natura talis spatij. Sicut quoddam inanitas illa, quæ intecederet inter cælum & terram, destructis corporibus intermedijs, sit tantæ capacitatis, & non maioris aut minoris, non pendet ab intellectu, sed à natura talis inanitatis, per respectum ad corpora, quæ distant. Distinctio igitur antecedente distinguendum est & consequens: non est in tali spatio Deus per potentiam & operationem, concedo; per substantiam & immensitatem, nego. Ad hoc enim, ut Deus sit in illo per substantiam, non requiritur, ut sit terminus realis, sed sufficit, ut non sit repugnans: nam sicut illud repleti potest substantia angelica, & eius reale Vbi terminare; ita repleti potest substantia Diuina, eiusque realem immensitatem terminare.

45. Nec est eadē ratio de chimera; quia hæc est ens omnino fictum; nec capax repleti substantia Diuina, sicut spatium imaginariū. Non dicitur autem Deus esse in rebus possibilibus, præteritis, aut futuris; dicitur autem esse in spatio etiam non reali; quia esse in spatio, solum dicit esse in illo repletiue seu occupatiue, esse verò in rebus, dicit esse operatiue producendo vel conseruando illas: implicat autem Deum esse per operationem in rebus possibilibus, præteritis, aut futuris, quia hoc ipso, quod esset in illis per operationem, non essent possibiles, præteritæ, aut futuræ, sed præsentēs atque existentes.

46. *Obijciat* 3. Hoc spatium non est aliud, quàm non repugnantia corporis maioris & maioris, quod Deus extra hunc mundū producere posset: Sed hæc non repugnantia non est distincta ab ipsa possibilitate corporis, quod non repugnare dicitur: ergo ista capacitas seu non repugnantia ad recipiendum corpus non est aliud, quàm possibile esse corpus cum tali vel tali Vbi constitutum. Ergo præter ipsum corpus, quod constituitur, & positum Vbi, quod habet, nullum aliud spatium imaginariū reperitur, in quo tale corpus recipiatur; ergo præter Diuinum esse, eiusque reale Vbi, nullum aliud spatium imaginandum est, in quo existat. Confirm. nulla res, quando producit, dicitur esse aut recipi in nō repugnantia: ergo nulla res, quando vbicatur, dicitur esse aut recipi in nō repugnantia. Consequentia probatur, quia ita se habet non repugnantia rei, ad sui existentiam, sicut non repugnantia vbicationis ad existentiam ipsius vbicationis: ergo sicut illa, cum producit, non dicitur recipi in non repugnantia, sed vel in subiecto reali, si illud habeat, vel in se ipsa, si subiecto careat: ita cum res vbicatur non ponitur in non repugnantia, sed vel in loco reali, vel in se ipsa.

47. Resp. Nego Maiorem: nam præter non repugnantiam corporis, est distantia negatiua, occupabilis à corpore, atque aded distincta à corpore, & à quauis substantia occupatiua spa-

tij: tum

tij: tum quia alioqui non posset angelus in tali spatio extra mundum moueri, quia motus essentialiter supponit distantiam, per quam mobile mouetur, distinctam ab ipso mobili. Tum quia, si illud esset sola non repugnantia corporis, & non distantia negatiua præsupposita ad corpus, non posset reddi ratio, cur si Deus annihilatis corporibus intermedijs, relictis tantum Cælo & terra, non posset, maius & maius corpus inter cælum & terram producere; nam si nulla est certa distantia inter cælum & terram, non esset maior ratio, cur maius aut minus corpus inter eas collocari non posset.

48. Recurrunt aliqui ad naturam Vbi, quibus Cælum & terra constituuntur, quæ talia sunt, vt sint proximum fundamentum tantæ quantitatis intermedie, & non maioris aut minoris. Sed contrà, tum quia hæc saluari non possunt in tempore imaginario, intercepto inter duo tempora realia: si enim Deus interrumpat tempus reale hodiernum, & crastina die iterum incipiat realiter fluere, mora illa vacua, quæ inter tempus hesternum & crastinum intercipitur, est determinata, cum illa non sit capax, nisi tantæ moræ temporis realis, & nō longioris, aut breuioris: & tamen in ipsis extremis realibus temporis, non est assignare aliquid, ratione cuius extrema ipsa exigant tantum tempus intermedium, & non maius, aut minus. Tum quia ipsummet Vbi supponit spatium, à quo specificatur: non enim reddi potest ratio, cur hoc Vbi sit additum ad hoc spatium, nisi quia supponit & specificatur ab hoc spatio, quod natura sua est immobile. Ad Confirmationem. nego consequentiam: ratio discriminis est, quia non repugnantia rei, quæ producitur, non distinguitur ab ipsius possibilitate: at nō repugnantia spatij, in qua res producitur, distinguitur à re ipsa quæ producitur. Vnde nego eodem modo se habere non repugnantiam rei, ad existentiam sui; ac se habere non repugnantia rei vbicabilis ad vbicationem, quoniam hæc præter non repugnantiam rei vbicabilis, dicit spatium in quo vbicatur.

49. Obijcies 4. Hoc spatium est nihil; ergo non potest esse aptum ad recipiendas entitates reales. Consequentia probatur: quia aptitudo non reperitur, nisi in ente reali. Resp. distinguendo de apto positiuè, quo modo reperitur in solo ente reali, & de apto negatiuè per non repugnantiam, quo pacto reperitur etiam in non ente; vt res, quæ non est, dicitur apta, non quidem positiuè, cum ante existentiam nihil sit, sed negatiuè per non repugnantiam, seu per negationem repugnantia. Secundo modo, non primo, spatium imaginarium aptum dicitur ad recipiendas entitates reales.

50. Obijcies 5. Præsentia realis dicit terminum realem: ergo nō potest Deus habere præsentiam realem ad spatium imaginariū, quod reale nō est. Resp. distinguo antecedens, dicit terminum realem intrinsecum, concedo; extrinsecum nego. Porro terminus realis intrinsecus, est ipsum Vbi reale intrinsecum, à quo intrinsecè denominatur præsens spatio. Li-

cet igitur Deus, aut quæuis substantia creata existens in spatio imaginario, non habeat terminum realem extrinsecum, habet tamen terminum realem intrinsecum, qui in Deo est immensitas, seu virtualis quantitas, actu occupans & replens spatium ipsum imaginarium infinitum: in substantia verò creata est localitas intrinseca, actu replens spatium imaginarium extrinsecum.

51. Ex dictis colligitur, Immensitatem esse ita propriam Dei, vt nequeat communicari creaturæ. Nam siue illa accipiat pro aptitudine coexistendi maiori & maiori loco in infinito, siue pro actuali existentia ad spatium imaginarium infinitum, nequit competere creaturæ. Nam quamuis Deus replicare possit Angelum in spatio maiore & maiore in infinito, nullum tamen condere potest, qui hoc exigit ab intrinseco; vel qui actu replicetur in spatio infinito: nam in vtroque casu concedenda foret infinita perfectio in creatura. Dices: datur spatium infinitum: ergo non implicat creatura, quæ illud totum occupet. Consequentia probatur, quia occupabile dicit ordinem ad occupatum: ergo si datur occupabile actu infinitum, dari poterit occupatum actu infinitum. Resp. nego Consequentiam: & ad probationem primò nego antecedens; nam dicere ordinem est proprium entium realium. Secundò nego Consequentiam; patet in potentia diuina, quæ est infinita, esto nullus terminus, aut multitudo actu infinita producibilis sit, ex infinitate namque potentia, solum sequitur infinitas syncategorematica, non categorematica termini. ergo ex infinitate spatij tantum sequitur infinitas syncategorematica termini occupatiui illius: eò quod nulla datur creatura, qua perfectior quoad locabilitatem produci non possit.

SECTIO IV.

Quot, & quibus modis Deus existat in rebus?

52. **H**ACTENVS ostendimus, Deum esse in rebus, & locis omnibus tam realibus, quàm imaginarijs: superest ostendendum, quot & quibus modis in illis existat. Duos in vniuersum assignant Scholastici cum Magistro in primo distinct. 37. vnum communem, quo existit in rebus omnibus; alterum specialem, quo inexistit in sanctis. Priore modo tripliciter docent Deum esse in rebus, primo per essentiam; secundo per præsentiam; tertio per potentiam: per essentiam dicitur esse, quatenus eius substantia est intimè coniuncta & indistans à rebus omnibus, per præsentiam dicitur esse, quatenus omnia, quæ in mundo geruntur, sunt ei cognitione præsentia. Tandem per potentiam dicitur esse, quatenus omnia virtute sua producit & conseruat. Qui modi sunt ita inter se connexi, vt primus non necessariò includat reliquos; Nam erat Deus ante mundum conditum per essentiam in infinito spatio imaginario, in quo tamen non erat

Magister & Scholastici.

per

per præsentiā, cū nihil extra Deū esset, quod corā ipso vidente gereretur: Neque per potentiam, cū nihil ante mundum conditū esset, quod Dei virtute atque operatione egeret. Reliqui verò duo necessariò includunt primum; eò quòd impossibile sit, vt Deus sit præsens rebus per cognitionem, operationem-ue, quin simul iisdem præsens sit per substantiam.

53. Porro cognitio, qua Deus dicitur præsens rebus, non est qualiscūque, sed intuitiua rei præsens vt præsens, atque actu existens; non enim dicitur Deus esse præsens rebus possibilibus, aut futuris, vel præteritis, sed tantum præsens: sicut nec nos dicimur præsentes, nisi rebus; quæ coram nobis aguntur. Quo fit, vt ante conditum mundum non diceretur Deus præsens rebus, quæ in futuro mundo gerenda videbat, nam præter præsentiā intentionalem & obiectiuā, requiritur realis & subiectiua: contrā verò, existens extra mundum, dicitur Deus præsens rebus, quæ aguntur intra mundum; nam ijs omnibus dicitur Deus præsens, ad quæ vt actu existentia se extendit Dei intuitus.

54. Obijcies, potius res dicuntur præsentes cognoscenti, quàm cognoscenti rebus, cum per cognitionē potius res fiant præsentes cognoscenti, quàm cognoscenti rebus: ergo potius res dicuntur præsentes Deo, quàm Deus rebus. Resp. Sub diuersa ratione dici res præsentes cognoscenti, & cognoscentem rebus: Nam cognoscenti fit præsens rebus vitaliter, tanquā termino suæ vitalis operationis; res autem hūnt præsentes cognoscenti, obiectiue & intentionaliter, quatenus exprimuntur intra notitiā cognoscentis. Dices, eadem ratione dici posse, Deum præsens sibi ipsi, per intuitiuā cognitionem sui. Resp. Nego sequelam: ad hoc enim requiritur realis distinctio inter cognoscentem & res cognitā.

55. Ad complementum modi, quo Deus dicitur per essentiam esse in rebus, tria supersunt explicanda: primum, an Deus sit in rebus per intimum illapsum: secundum, an sicut Deus dicitur esse in rebus, ita res dici possint esse in Deo; Tertium, an propriè Deus sit in loco.

Communis
sententia.

56. Quantum ad primum Communis sententia Scholasticorum est, Deum esse in rebus per intimam præsentiā & illapsum. Fundamentum, quia Deus non solum adest rebus vt causa efficiens, sed etiam vt causa exemplaris, formans & figurans singulas rerum essentias. Sicut enim sigillum non solum efficienter imprimit figuram sui, sed etiam illam efformat & effingit communicādo se in genere causæ exemplaris: ita Deus non modo efficit essentias rerum, verum etiam illas efformat & effingit in genere causæ exemplaris, communicādo se illis participatiue secundum varias perfectiones, non quidem formaliter, sed exemplariter.

S. Thomas.

57. Ad secundum concedit S. Thom. 1. p. quæst. 8. art. 1. ad 2. omnia esse in Deo, sicut effectus in causa; & Deum esse in rebus, sic-

ut causam in effectū. Dices: ergo sicut res dicuntur esse in Deo, antequam existant, ita dici potest, Deum esse in rebus, antequam res existant. Confirmatur, quia si vera est hæc propositio: res sunt in Deo; vera erit & eius conuersa, Deus est in rebus: sed illa ab æterno fuit vera, ergo & hæc. Resp. nego Consequentiā; nam res sunt in Deo causaliter, & ideo possunt, etiam quando non existunt, verè dici in Deo esse, ratione virtutis causatiuæ: Deus verò est in rebus causaliter, esse autem in rebus causaliter, est actu causare res: implicat autem Deum actu causare res, & res actu non esse, quia hoc ipso, quo actu causantur, sunt; nam media causatione tanquam via accipiunt esse. Ad Confirmationem, nego conuersam huius, res sunt in Deo, esse hanc, Deus est in rebus; sed hanc, Deus est causa exemplaris & effectiua rerum, quæ etiam ab æterno fuit vera. Lege Bonau. in 1. distinct.

Bonauent.

37. prima parte, articulo secundo, qu. 2.

58. Ad tertium negant communiter Scholastici cum Magistro, Deum propriè esse in loco, quod expresse docuit Anselmus in Monologio cap. 22. & August. libro de essentia diuinitatis initio, vbi Deum appellat *illocalem*; & aperte colligitur ex conditionibus loci, quas assignat Philosophus quarto Physicorum, inter quas est, vt locatum concludatur finibus loci: atqui Deus nequit concludi finibus loci; ergo nequit propriè esse in loco. Eo tamen modo improprio, quo Deus est in loco, excedendo terminos loci, controuersia est inter Doctores, an sit in illo formaliter, an tantum causaliter. Thomistæ cum S. Thoma quæst. cit. artic. secundo affirmant, esse causaliter, quatenus Deus causat corpora, quæ formaliter replent loca: alij verò formaliter: quibus magis assentior; Nam, esse in loco, importat continentiam formalem, non effectiuam, alioqui etiam Cœli dici possent esse in loco sublunari; quia Cœli per suas influentias effectiue causant & conseruant corpora, quæ formaliter replent loca sublunaria.

Scholastici.
Magister.
Anselmus.
Augustin.
Aristoteles.

S. Thomas.

59. Alter modus specialis, quo Deus inexistit in Sanctis, adhuc est triplex; primus dicitur specialis, quo in iustis & sanctis habitat per gratiam, tanquam in proprio templo & sede. Secundus specialior; quo ab aliquibus Deus habitare dicitur in B. Virgine per identitatem, quatenus ex ea carne assumpsit, quàm propriæ copulauit hypostasi. Tertius specialissimus per vnionem hypostaticam, quo singularissimo modo inexistit in humanitate CHRISTI DOMINI, illam immediatè sanctificando, & ad naturalem filiationem assumendo, vnamque personam cum ea ineffabiliter efficiendo.